

rere, non oportebat definitionis negotium disturbares. Quid enim times? Ne non deinceps eo in honore futuri sint, quo ante fuerunt, si forte illorum opinacionem, quæ tua est, Ecclesia rejiciat? Explosa est olim Cypriani, ac pen- omium Africanorum sententia, qui putarunt ab haereticis venientes esse iterum baptizandos: illorum etiam, qui Melchisedech non hominem quempiam, sed Spiritum Sanctum esse dixerunt. Veniale peccatum perpetrasse Mariam fuit Patrum gravissimum opino (a), Irenæi, Athanasi, Cypriani, Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Andrea Hiero- lymitani, Bedæ, Ammonii, Origenis, Tertulliani, Euthymii, Theophylacti. Eam rejecit Tridentinum Concilium, & ab omni peccato, quod est actionis, Virginem scivit abhorruisse ex Ecclesia consensu (b). An est idcirco corum Patrum vel dignitas, vel auctoritas immunita? Quin habentur in pretio a sapientibus viris; neque mirum videri debet, ex- rasse illos interdum, cum homines fuerint. Ad eum modum, si Mysterium Conceptionis Ecclesia aliquando decernat, no- li, quæso, dubitare, quin sint futuri, qui Patres illos cle- menter accipiant, si quibus aliter visum est. Facient omnes, quod te, tuosque nunc etiam facere æquum esset; cum ho- noris præfatione Antoninum relinquunt, ubi aperte repugnat; commode alios explicabunt; eosque tandem sequen- tur, quos cum Ecclesia idem sentire perspicuum est. Si quis autem e vulgo male sanus, & procax audebit Ordinem quempiam maledictis incessere, lege multabitur. Non enim, si doctrina rejicitur, consequens est, ut impune Doctoribus fiat.

(a) *Iren. lib. 3. cap. 18. Athan. serm. 4. cont. Ar. Cyp. serm. de Pas. D. m. Chrys. hom. 4. in Matth., 20. in Joan., & in Ps. 63. Greg. Nyss. orat. in illud, Quando sibi subjecerit omnia. Andreus Hier. serm. de B. V. Beda sup. miss. est. Amm. in Evang. Joa. Orig. hom. 1. in Gen., & 17. in Luc. Tertull. de carn. Christi cap. 7., & lib. 4. cont. Mar. cap. 19. Euthym. in 1. Luc. Theo- phyl. in 1. Luc.*

(b) *Sess. 6. Can. 23.*